

(cutionis pati vos oportebit propter Deum; gaudete et exultate; quia merces vestra magna erit in Coelis. Haec est enim voluntas Dei Patris nostri ut fides, spes, et caritas nostra per patientiam probetur, tanquam aurum in fornace. Non enim difficile Deo esset de omni tribulatione et angustia nos continuo liberare: sed ideo in hoc tempore Deus permittit suos multa pati, ut gloriosius illos coronet in coelo, et conformes faciat unigenito Filio suo qui nunquam cessavit in hoc mundo bona facere et mala pati, ut nos suo exemplo erudiret; ex quo fiet, ut sicut ille humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propterea exaltavit illum Deus Pater ad thronum gloriae suae, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen ut in nomine Jesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum; sic et nos si patienter tulerimus persecutiones, et passiones exaltavit Christus et confirmabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae. Non ero in hac epistola prolixior, quia scio fratres meos qui isthic sunt non defuturos in omni instructione et exhortatione. Valet in Christo Jesu Salvatore nostro, et oremus pro invicem, ut salvemur. Romae die 12. mensis Maii 1616. Robertus Cardin. Bellarminus.

20 -Li Rerum memorabilium in regno Sinae gestarum. Litterae annuae Societatis Jesu (Anni M.DC.XX) Antverpiae, 1625, pp. 65-67. *Suit La réponse de Paul néoph. ch.*
-Archiv. Vat. Doc. Gesuit. 21 copie médiocre. *apud Hier. Versusium*

1 Pauli Sinensis Cardinali Bellarmino. *Pequini*

Pequini

Cum summa veneratione suspensus, amplissime Cardinalis, suspicio tuae pietatis amplitudinem, quae vastissimo Oceano terminari, nec ultimis terrarum spatiis potuit limitari; cuius splendor velut ignis spiritualis huc advolans hoc nostrum Sinense regnum potuit inflammare. Amplitudinis tuae literas multi legimus maxime literatorum

/ gradibus insignes, et Senatores gravissimi, sive qui Remp. nostram adhuc moderantur, sive qui olim moderati privatum domi vitam degunt. Ex iis qui nondum Christiana sacra profitentur, exarserunt in imitationem communis vestrae caritatis, quae complectitur universos. Qui 5 vero iam Christum Iesum profitemur, concepimus meliora, statuimusque vires omnes nostras exhaurire in amore mutuo proximorum, et ita collaboramus omnes, uti Iesu Christi sanctissima religio erigat se novo ardore et maiore in dies numero augeatur, donec splendorem Solis meridiani consequatur. Literati mirantur in remotissimis regionibus 10 tantam esse posse hominum, virtutumque concordiam: populares instrui se gaudent ac perfici: denique gavisi sumus omnes in alienissimis regionibus tantum virum reperiri qui nos non habeat in alienis, neque nos a se removeat, cuius memoria quocunque tandem pervenerit, non potest non omnibus esse gratissima. Deploramus deesse nobis pen- 15 nas quibus advolemus coram grates habituri, sed quoniam huius regni legibus fines egredi prohibemur, votis nostris facere satis interdici- mur. Verum quanta possumus observantia ex animi teneritudine, voce in eundem sonum conspirante, profitemur, ut possumus, quantum amor tanto nos debere sentiamus.

20 Quod ad communem eamque sanctissimam Domini nostri Iesu Christi fidem, quae non ita dudum in hoc regnum penetravit, quoniam errorum et sectarum per multa saecula confusio sine limite se dilataverat, vera lex nostra exiguum quiddam initio videbatur, et eam pauci primis annis complectebantur, ideo humani generis hostis eam rem negligere 25 videbatur. Postquam autem advertit viros ingenii virtutisque fama celebres non exiguo numero in obsequium unius ac veri Dei conspirare, invidia exarsit, coepitque formidare ne in exitium fraudum suarum haec nova lex erumperet. Ideo vulpinam fraudem et muscarum technas orditus est, et maximam tempestatem concitans ventos et fluctus 30 in coelum extulit, et hactenus littora fluxu refluxuque perturbavit, nec per ipsum stetit quin omnes Christianae fidei ministri Societa-

/ tis Iesu Sacerdotes regno pellerentur. Verum divino patrocínio nihil
 eius artium ministri aemuli nostri contra veritatem profecerunt, nam
 illi ipsi Sacerdotes partim antiquis in sedibus degunt, partim apud
 Neophytos, imo etiam aliquando apud Ethnicos diversantur, qui nondum
 5 sua desideria de sequenda Christiana religione per baptismum exple-
 verunt; et nunc omnes confidimus fore, ut fides nostra vehementer au-
 geatur. Amplitudo vestra metum ac sollicitudinem de nostra persecu-
 tione deponat, edocti sumus ab omnium seculorum memoria, quoties dae-
 monum opera persecutionum fluctus intumuerunt, Deum optimum maximum
 10 ita omnia moderatum, ut laborantibus subveniret. Quin etiam a nost-
 ris sanctae legis Doctoribus, ac Magistris audivimus aliquando cele-
 brem Iesu Christi Domini nostri parabolam qua sanctissimam legem su-
 am grano sinapis comparat, quod cum coeteris seminibus collatum mini-
 mum esse reperitur, verum terrae mandatum, tametsi cum ipsa terra ge-
 15 lu concreseat, pruina, nivibus, imbribus obruatur, ubi tamen primum
 sese veris tempus aperuerit, erigit se, brevique tempore luxurians
 coetera olerum genera superat, et in arborem extemplo supra spem su-
 ae stirpis evadit; Sanctissimi Iesu Christi legis verna tempestas
 imminet, eius incrementum, cursusque non interrumpendus non temere
 20 speratur, donec per multa retro saecula, quod sine fine est ac termino
 consequatur. Sed haec ingenii mei exiguitas quomodo explicare potest
 ex parabola arbusculae maioris, aut minoris florentis aut emarcidae?

Amplitudinem tuam rogamus ut apud immortales⁸ Deum pro nobis exo-
 ret; apud vero mortales Summum Pontificem totius Ecclesiae parentem
 25 obtestetur, ut totus incumbat in sanctissimae legis apud nos incre-
 mentum, sub suo patrocínio, et umbra, Patres nostros ac Magistros So-
 cietatis ~~Dei~~ Iesu Sacerdotes excipiat, ut continuas eorum labores recre-
 ans, vires augeat ad eorum ~~onus~~ sustinendum. Optamus itidem omnes ut
 Amplitud⁹ tua in dies novis muneribus, et honoribus augeatur. Unde
 30 ad omnes qui ratione utuntur vitae melioris perfectionisque benefi-
 cium derivetur. Ex aperte pectore grates innumeras eructamus, et ex-
 tento collo suspicientes amplitudinem tuam veneramus. Pequini.